

sam sibi ipsi relictam, id est, per vim suam, quam illa non potest ad necessariam obsecutionem protrahere. Hinc generatim potest inferri, qualiter nihil posse assignari videtur ex parte Dei, in quo Deus ipse certò sciat futura libera: quia quidquid illud est, quod assignabitur, non habet necessariam conjunctionem cum hac vel illa determinatione voluntatis, sed tantum indifferentem, quippe quæ relinquit voluntatem nostram suo arbitrio, quo determinari à se ipsa in quacunque partem voluerit, potest.

Sic itaque manifestò errant, qui docent Deum cognoscere futura libera in essentia sua, aut in omnipotentia sua, aut in scientia sua, aut in aternitate sua, aut in alio quovis attributo; quatenus ad Divinam essentiam, & ad qualibet attributa illius, non magis pertinet futurum unum liberum, quàm alterum contradictorium: aliàs enim non relinqueretur voluntas omnino sibi, sed per Divinam essentiam, aut per aliquod attributum Divinum pertraheretur in illud futurum, quod supponeretur magis pertinere ad prædictam Divinam essentiam, aut ad aliquod attributum illius. Et hoc quidem ita evidens est, ut capropter necesse non sit opiniones illas magis particularim, sive recensere, sive refellere.

Tantum annoto hoc idem ratiocinium non minùs valere ad inferendum non posse pariter Deum certò scire futura libera in decretis & auxiliis suis præcisè spectatis, quia licet ad illa magis pertineret futurum unum liberum, quàm alterum, siquidem supponeretur futurum unum liberum intendi, alterum non intendi; nihilominùs neutrum ad illa necessariò pertineret: neutrum cum illis necessariò jungeretur: & in hunc modum utriusque præscientia remaneret incerta. Verùm ad istam particularem illationem quod interest, res infrà magis perpendetur.

His prænotatis addo neminem esse, qui nesciat talem ac tantam esse vim contradictionis inter futura duo libera contradictoria, veluti inter amorem & non-amorem, ut necesse sit suo in tempore poni unum, aut alterum: & eà quidem necessitate, quàm necesse est, si de tempore præsentis agitur, ut actu sit exercita positio amoris, vel illius omisio. Ratio est, quia ex suppositione facta amoris nunc exerciti, verum erat futurum esse, ut aliquando exerceretur actus ille; & rursus verum id erat per eandem veritatem, quàm jam verum est illum exerceri. Ac proinde veritas illa de amore futuro erat veritas determinata, invariabilis & in-

VII.
Præferim
verò non potest percipere Deus futuram illam determinationem in ul-
lis attributis suis.

VIII.
Sed neque potest illam percipere in decretis illis suis præcisè spectatis.

IX.
Quanta sit vis contradictionis inter duo futura libera contradictoria.